

tifex in suo opere dirigitur, ac propriam sedem non habet nisi in mente. De hac proxime verificatur definitio quam supra [659] retulimus, eaque proinde sola, simpliciter loquendo, *ideae* nomen sibi adseiscit. Quoniam vero ordo intelligibilitatis in ordine realitatis nitatur necesse est, hinc artifex conceptionem operis faciendi ex objecto aliquo reali et physice existente haurire debet. Id autem fit dupliciter, ut S. Thomas animadvertit. * In his, ait, quae ad imitationem alterius producuntur, quandoque id, quod alterum imitatur, perfecte imitatur ipsum; et tunc intellectus operantis praeconcipiens formam operati habet ut ideam ipsam formam rei imitatae. Quandoque vero quod est ad imitationem alterius, non perfecte imitatur illud; et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatae absolute ut ideam vel exemplar rei operandae, sed cum proportione determinata, secundum quam exemplatum a principali exemplari deficeret vel imitaretur. (Qq. Disp. *Verit.* q. 3. a. 2.) Huius postremae imitationis praeclarum exemplum habes in essentia divina, prout ibidem subdit S. Doctor. * Deus, ait, per intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem essentiae suae producit. Unde essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta. Res autem creatae non perfecte imitantur divinam essentiam: unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino, ut idea rerum, sed cum proportione creaturae fiendae ad ipsam divinam essentiam, secundum quod deficit ab ea vel imitatur eam. Diversae autem res diversimode ipsam imitantur, et unaquaeque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera: et ideo ipsa divina essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad ipsam, est idea uniuersivusque rei. Unde, cum sint diversae rerum proportionibus, necesse est esse plures ideae: et est quidem una omnium ex parte essentiae, sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam. *

SECTIO IX.

De causa finali.

661. **Finis eiusque ratio.** — Finis, generatim consideratus, dicitur *id propter quod, seu cuius gratia aliquid efficitur*: unde a Philosopho sic describi solet, *ὅ ἐνεκα*. Sunt autem tria distinguenda in re praesenti, nimirum res ipsa quae finis dicitur; ratio secundum quam haec appellatio ei tribuitur; ea denique quae ad hunc finem ordinantur et propter ipsum fieri dicuntur. Iam age, res quae finis est aut esse potest, bonum aliquid sive verum sive existimatum sit oportet. Finis quippe sic vocatur propterea quia in ipsum terminatur appetitus: hic vero tendit in bonum, quod ideo dicitur *id quod omnia appetunt* [483]. Praeterea, ut arguit S. Thomas: " Illud ad quod aliquid tendit cum extra ipsum fuerit, et in quo quiescit cum ipsum habuerit, est finis eius. Unumquodque autem, si perfectione propria careat, in ipsam movetur quantum in se est; si vero eam habeat, in ipsa quiescit. Finis igitur cuiusque rei est eius perfectio. Perfectio autem cuiuslibet est bonum ipsius. " (3. *Cont. Gent.* c. 16.) Hinc ulterius facile intelligi potest, quanam sit formalis ratio secundum quam res aliqua vocatur finis; nempe est ipsa ratio boni, prout appetitum cieit et terminat. Quare generalis descriptio boni supra tradita [483], si fundamentaliter spectetur, exprimit ipsam formalem boni rationem, ut ibidem declaravimus; si vero spectetur formaliter, h. e. secundum ipsam rationem appetibilitatis, plane coincidit cum ipsa ratione finis, quam bonum induit ut est terminus appetitionis. Quae denique intuitu finis ab agente efficiuntur, generali locutione dicuntur *ea quae sunt ad finem*. Quatenus vero non appetuntur nisi ut utilia ad finem sive efficiendum

sive obtinendum, vocantur *media*; idque maxime locum habet cum non aliam appetibilitatis rationem habent, nisi eorumdem aptitudinem ad finis consecutionem, ut patet in potione amara quae sanitatis gratia sumitur. Quocirca omne medium est ad finem, sed non omne quod est ad finem, stricte medium vocari potest. Sic pars ordinat ad totum, sicut in finem, nec propterea medium dici potest, proprie et severe loquendo.

662. **Finis appetitus.** — Appetitio finis potest esse *necessaria* seu *naturalis*, vel *deliberata*; item alia *innata*, alia vero *elicita* nuncupatur. Prior divisio habetur prout ab ipsa natura vel ex libera voluntatis optione determinatur. Appetitus vero *elicitus* vocatur ipse actus appetendi quo res cognitionis participes, praevia aliqua cognitione sua, feruntur in bonum aut quod bonum esse videtur; cuiusmodi sunt amor, desiderium, alique actus consimiles. Appetitus contra *innatus* sic vocatur ipsa inclinatio naturae cuique rei indita, qua absque ulla praevia cognitione sua in bonum sibi consentaneum propensa est: quae inclinatio in potentiis passivis est ipsa naturalis capacitas seu proportio earundem cum sua perfectione, sive actu quo complentur; in activis vero est ipsa naturalis facultas agendi. Ex quo tria efficiuntur. Primo quidem, appetitionem omnem innatam esse naturalem, et appetitionem omnem deliberatam esse elicitam; sed non vicissim. Secundo, appetitionem omnem deliberatam nisi debere in appetitione aliqua naturali. * Oportet enim, sapienter ait Angelicus, quod illud, quod naturaliter alicui convenit et immobiliter, sit fundamentum et principium omnium aliorum: quia natura rei est primum in unquoque, et omnis motus procedit ab aliquo immobili. . (Summa th. 1. p. q. 82. a. 1.) Tertio, appetitum omnem naturalem vel esse innatum, vel in eo tandem radicem habere. Amor enim partis sive sensitivae sive intellectivae, si a natura determinatur, eo ipso pullulat ex indita appetentis coaptatione et connaturalitate cum objecto amato; in qua coaptatione et connaturalitate posita est appetitio quae innata nuncupatur. Quod si ulterius

quaeratur, quid in causa sit quare praedicta cuiusque rei naturalis inclinatio in proprium bonum appetitio nominetur, elegantem plane responsum suppediat Divus Thomas. * Dupliciter, ait, contingit aliquid ordinari et dirigi in aliquid sicut in finem: uno modo per se ipsum, sicut homo qui se ipsum dirigit ad locum quo tendit: alio modo ab altero, sicut sagitta quae a sagittante dirigitur ad determinatum locum. Per se quidem in finem dirigi non possunt nisi illa quae finem cognoscunt; oportet enim dirigens habere cognitionem eius in quod dirigit. Sed ab alio possunt dirigi in finem determinatum quae finem non cognoscunt. Sed hoc dupliciter contingit. Quandoque enim id, quod dirigitur in finem, solummodo impellitur a dirigente sine hoc quod aliquam formam a dirigente consequatur propter quam ei competat talis directio vel inclinatio; et talis inclinatio est violenta, sicut sagitta inclinatur a sagittante in signum determinatum. Aliquando autem id, quod dirigitur vel inclinatur in finem, consequitur a dirigente vel movente aliquam formam per quam ei talis inclinatio competat: unde et talis inclinatio rei naturalis, quasi habens principium naturale.... Et per hunc modum omnia naturalia in ea, quae eis conveniunt, sunt inclinata habentia in se ipsis aliquid inclinationis principium, ratione cuius eorum inclinatio naturalis est, ita ut quodammodo ipsa vadant et non solum ducantur in fines debitos. Violentia enim tantummodo ducuntur, quia nil conferunt moventi: sed naturalia vadunt in finem, in quantum cooperantur inclinanti et dirigenti per principium eis inditum.... Appetere autem nihil aliud est quam aliquid petere, et quasi tendere in aliquid ad ipsum ordinatum. Unde, cum omnia sint ordinata et directa in bonum a Deo, et hoc modo quod unicuique insit principium, per quod ipsum tendit in bonum, quasi petens suum bonum, oportet dicere quod omnia naturaliter bonum appetant. Si enim essent omnia inclinata in bonum sine hoc quod haberent in se aliquid principium inclinationis, possent dici directa in bonum, sed non appetentia bonum; sed ratione inditi principii dicuntur omnia

appetere bonum, quasi sponte tendentia in bonum. (Qq. Disp. Verit. q. 22. a. 1.)

663. **Quid proprie sit propter finem operari.** — Est autem hoc loco diligenter notandus ordo sive nexus, quem particula *propter* exhibet, cum dicimus rem aliquam *propter finem* operari. Hac loquendi ratione, ut alibi indicavimus [506], non exhibetur bonum in quod agens sua operatione tendit, quasi *terminus* dumtaxat huius operationis ut eo adepto ipsum quiescat; sed praeterea exprimitur vera causalitas, vi cuius id quod dicitur finis est propria *ratio cur* agens operetur. Atqui finis, prout talis est, in ordine reali non est principium sed terminus. Quare causalitas praedieta non potest locum habere nisi in ordine intentionali, prout scilicet existit in intellectu illum praecipiente. Hinc manifestum est, non posse agens propter finem operari, nisi vel sit intelligens, vel ab aliquo intelligente ad finem dirigatur et ordinetur. Unde quaedam dicuntur operari *ex intentione finis*, quae nimirum finem ut finem cognoscunt, ac proportionem suae operationis ad finem: et haec non sunt nisi entia intellectualia quoad ea in quibus intellectuali modo operantur, quae propterea ipsa se movent ad finem. Quae vero hac cognitione carent, si propter finem dicuntur operari, id propterea dicitur, quia a superiori intelligentia finem propriae operationis praestitutum habent ad quem ab ea moventur et diriguntur. * Proprium est, ait Divus Thomas, naturae rationalis, ut tendat in finem, quasi se agens vel duceas ad finem; naturae vero irrationalis, quasi ab alio acta vel ducta, sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea quae omnino cognitione carent. (Summa th. 1. 2^a q. 1. a. 2.)

664. **Duplex ordo distinguendus in operatione propter finem.** — Porro in hac operatione propter finem, adaequate si spectetur, duplex ordo distingui consuevit, *intentionis* scilicet et *executionis*. Primus consistit in serie actuum, prout circa finem et media versantur per intellectum apprehensa. Alter vero comprehendit actus volun-

tatis ceterarumque virium voluntati subiectarum, prout circa finem et media versantur facto et re comparanda. Utraque series nitide sic describitur a Suarez. * Distinguere oportet plures actus qui in hoc negotio interveniunt. Quidam tendunt directe in finem, vel secundum se et absolute, ut simplex voluntas eius sui amor, vel ut consequendum per media, sicut intentio; et hi actus antecedunt non solum consecutionem finis, sed etiam electionem mediourum. Alii sunt actus, qui proxime versantur circa media, quamvis ratione finis: et huiusmodi proprie est electio, quam antecedit consultatio et inquisitio mediourum, quae, quatenus ad inquirendum finem necessaria est vel utilis, ad media reducitur, et quatenus voluntaria est, sub electionem quodammodo cadit vel ad illam revocatur. Et haec duo genera actuum dicuntur pertinere ad ordinem intentionis, quia non solum finis consecutionem, sed etiam mediourum executionem antecedunt. Post ordinem vero intentionis sequitur ordo executionis, in quo similiter possunt duo alia genera actuum distingui. Quidam enim versantur circa mediourum executionem per usum eorum, quem activum vocant: alii versantur circa finem, ut iam consecutum et possessum, scilicet frui, vel gaudium, quod etiam quies animi dicitur, et in eo statu potest etiam durare amor. (Metaph. D. 23. sect. 3. n. 3.)

665. **Praecipuae finium partitiones.** — Ad partitionem finis quod attinet, is dividitur:

I. In finem *ultimum* et *non ultimum*. Ille dicitur, qui ad alium non ordinatur, ad ipsum vero cetera. Illud contra, quod in se habet unde appetatur, ad ulteriorem tamen finem ipse ordinatur, finis quidem est sed non ultimus. Finis ultimus sic dici potest vel in ordine quodam determinato; vel in ordine totius vitae humanae; vel denique absolute, nimirum quoad totum creationis ordinem. Primo modo scientia ex. gr. est ultimus finis studiorum; alio modo sic dicitur beatitudo ad quam ordinatur; tertio modo est ipse Deus, qui propter semetipsum operatus est omnia.

II. In finem *totalem* et *partialem*. Haec partitio a finis est praecedenti, distinguitur tamen. Ille est qui secundum se est praecipua et sufficiens ratio agendi: hic vero est qui in se quidem habet unde ametur, sed causam agentem non movet nisi simul cum alio fine coniungatur. Utriusque optimum exemplum habes in operatione quae secundum rectum dictamen rationis peragitur. Bonum quippe honestum in tali operatione se habet ut finis totalis: delectatio autem inhaerens, in se quidem habet cur placeat et moveat, non tamen ab homine prudenti eligitur nisi secundum quod vel operationem honestam consequitur vel ad eam promptius et facilius peragendam conducit.

III. In finem *intrinsicum*, seu operis, et *extrinsicum*, seu operantis. Prior est ille quem opus suapte natura spectat: alter vero dicitur id omne quod agens opere suo consequendum sibi praestituit, tametsi eidem operi sit plane extrinsecum, nullam per se connexionem cum eo habens. Sic, indicatio horarum est finis intrinsicus horologio: finis contra operantis in aedificatione potest esse habitatio, lucrum, caritas, etc. Nomine porro *operis* in re praesenti intelligi potest tum ipsa actio agentis, tum ipsius actionis terminus. Hinc alia finis divisio tradita ab Aristotele (2. *Physic.* c. 7.), videlicet in *finem actionis*, et *finem rei factae* seu genitae. Hoc modo forma seu compositum dicitur finis generationis: forma vero vel compositum dicitur esse propter suam operationem, nomine operationis intelligendo omnem usum ad quem res genita ordinatur.

IV. In finem *efficiendum*, et mere *consequendum*. Ille intenditur ut sit; hic vero dicitur cuius assecutio intenditur. Prior locum habet potissimum in arte, ac duplex distinguitur ab Aristotele (1. *Ethic.* c. 1.), ubi ait: *Finium quidam sunt operationes, quidam opera* seu operata. Finis vero mere oblinendus maxime habetur in Deo, ad quem creaturae omnes ultimo ordinantur ut ipsius bonitatem pro cuiusque capacitate consequantur. Hinc spectant verba Angelici sic aientis. "Quaedam (artes) habent pro finibus

operationes ipsas, sicut citharistae finis est citharizare; quaedam vero pro fine habent quoddam operatum, sicut aedificatoris finis non est aedificare, sed domus. Contingit autem aliquid extrinsecum esse finem non solum sicut operatum, sed etiam sicut possessum, seu habitum, vel etiam sicut repraesentatum: sicut si dicamus, quod Hercules est finis imaginis, quae fit ad eum repraesentandum. Sic igitur potest dici quod bonum extrinsecum a toto universo est finis gubernationis rerum sicut habitum et repraesentatum: quia ad hoc unaquaeque res tendit, ut particeps ipsum et assimiletur ei quantum potest. (Summa th. 1. p. q. 103. a. 2. ad 2.)

666. **Finis qui, finis cui, finis quo.** — Hac est alia divisio finis, quae communiter tradi solet, quaeque specialem considerationem meretur. Dicitur finis *qui* bonum ipsum quod intenditur se amatur: subiectum vero, cui tale bonum volumus, dicitur finis *cui*: adeptio denique sive usus eiusdem boni, quem in eo subiecto intendimus seu amamus, constituit finem *quo*. Exemplo sit amor sanitatis infirmo procurandae, cuius gratia medicina subministratur. In huius finis intentione, sanitas ipsa se habet ut finis qui, eiusdem recuperatio ut finis quo, infirmus denique ut finis cui. Id etiam considerari potest in eo amore quo aliquis sua ipsa bonitate movetur ad alium particeps reddendum eiusdem bonitatis. In tali amore seu intentione, finis qui non est nisi ipsa bonitas diligens, finis quo est huius bonitatis effusio seu communicatio, finis denique cui est sub diversa ratione tum diligens tum persona quae diligitur: illa enim sibi hoc vult, et hoc in se intendit, ut sit videlicet fons bonitatis, haec vero diligitur ut in se recipiat hanc bonitatem (1). Hinc plura notari debent in re praesenti.

(1) Hac ratione pulcherrime S. Thomas ostendit, qua ratione amor quo Deus propter suam bonitatem creaturas prosequitur, sit plane benevolus et gratuitus. "Finis ultimus, ait, propter quem Deus vult omnia, nullo modo dependet ab his quae sunt ad finem, nec

I. Haec tria minime sunt tres fines, sed unus adaequatus finis intentus secundum triplicem eius partem quasi integram. Amare quippe est velle bonum. Id vero tria complectitur, nimirum ipsum bonum quod volumus, subiectum cui volumus, et eiusdem boni sive possessionem sive usum quem in eo subiecto volumus, ut videre licet in duplici exemplo proxime allato. Lege S. Thomam (*Summa th.* 1. 2^{ae} q. 11. a. 3. ad 3., q. 26. a. 4.).

II. Saepe contingit, ut finis cui sit alia res a fine qui, ut patet in eo qui operatur ad consequendum bonum quo caret. Iam vero minime per se requiritur, ut una alteri in perfectione praestet. Interdum enim finis cui est res nobilior, ut cum homo sanitatis recuperandae gratia operatur; interdum vero e converso accidit, ut cum operamur ad consequendum ipsum Deum. Ratio plana est. Saepe enim res perfectior intendit sibi acquirere aliam perfectionem, tametsi minorem, qua caret; saepe contra perficitur per coniunctionem cum perfectiori, ut homo per coniunctionem ad Deum.

III. Quamquam finis cui, prout talis est, terminat amorem benevolentiae et amicitiae, finis vero qui amorem qui dicitur concupiscentiae, non propterea generatim dici debet illum magis amari quam istum, et hoc sensu praestantiorum esse finem. Apposite Suarez. ⁶⁶⁷ In bonis particularibus, quae praecipue vel etiam omnino amantur in commodum amantis, vel ut illum perficiant, vel sub aliqua alia habitudine ad illum, verum est finem cui principalius amari, esseque principalem finem....

quantum ad esse, nec quantum ad perfectionem aliquam; unde non vult alicui suam bonitatem communicare ad hoc ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia ipsum communicare est sibi conveniens sicut fonti bonitatis. Dare autem, non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem et convenientiam dationis est actus liberalitatis.... Hanc autem eius liberalitatem Scriptura ostendit dicens: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*, Ps. 108.; et: *Qui dat omnibus affluenter et non impropereat*. Sap. 1. 5. (1. *Cont. Gent.* c. 42.)

At vero quando finis cuius gratia est summum bonum et finis ultimus, si ordinate ametur et intendatur, semper debet retinere principalem rationem finis magisque ad se trahere intentionem operantis. Quia cum sit finis ultimus simpliciter, non potest ita referri in alium sub aliqua ratione finis, ut in alio principaliter sistatur. Atque ita cum homo intendit consequi Deum, licet ipse sit aliquo modo finis cui bonum illud quaeritur, tamen absolute potius homo ordinat seipsum in illum finem; nam vult coniungi illi bono ut ultimo fini suo. Quo fit, ut licet in eo motu et tendentia, respectu mediolorum et operationis, homo proprie dicatur finis cui, tamen respectu ipsius Dei qui principaliter quaeritur, non tam dicendus finis, quam subiectum quod ordinatur ad consequendum illum finem. Quamvis non negem posse etiam vocari finem cui; nam revera habet illam rationem, ita tamen ut intelligatur potius ordinari ad alterum finem obiectivum et ultimum, quam illum ad se ordinare. (*Metaph.* D. 23. sect. 2. n. 8.)

IV. Finis cui est certe proprius terminus amoris benevolentiae seu amicitiae, sed, si seorsum a fine qui consideretur, per se non requiritur ut in se contineat rationem seu motivum, tametsi partialiter, cur ametur. Huius rei manifestum exemplum habes in eo amore benevolentiae quo quis bonitate sua permotus prosequitur eum qui talem amorem vel non meretur vel etiam demeretur. Et hoc modo Deus diligit quidem creaturas racionales amore plane gratuito et benevolo, adequata tamen ratio unde movetur ad eas sic diligendas est ipsa summa et infinita eius bonitas.

667. **Consectaria dueta ex tradita finis explicatione.** Ex declaratione finis huc usque tradita facili negotio plura principia derivantur, quae quasi totidem axiomata in praesenti materia haberi debent.

I. **Finis respectu eorum, quae propter ipsum sunt, est causa vere et proprie.** — Manifeste liquet ex communi naturae sensu. Haec enim quaestio, *Propter quid, seu Quare*, est profecto quaestio causam inquirens. Atqui

cum quaerimus ex. gr. propter quid vel quare quis deambulet, convenienter respondemus dicendo, *ut sanetur*, qua responsione non assignamus nisi finem deambulationis. Ergo finis est causa, vere et proprie, eorum quae propter ipsum fiunt. Ratio autem est a priori. In huiusmodi quippe fine continetur ratio cur agens agat potius quam non agat, ac propterea vere est principium influens esse in ea quae ab agente efficiuntur. Patet autem, in quo consistat propria finis causalitas; est nempe ipse amor quem ob sui bonitatem inspirat agenti: sic enim influit in effectum. Quare S. Thomas: *Sicut influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari.* (Qq. Disp. Verit. q. 22. a. 2.)

Consulto autem diximus, *respectu eorum quae propter ipsum efficiuntur*. Quod enim non efficitur, non habet causam. Hinc effectus divinae voluntatis habent profecto causam finalem, non vero ipse actus eiusdem divinae voluntatis, tametsi et ipse finem habeat seu rationem volendi.

II. Finis in ordine causarum est prima. — Nam agens non agit nisi propter finem, ab agente autem materia in actum formae transmutatur. Ergo causalitas finis est ratio causalitatis causae efficientis, et haec est ratio cur materia moveatur ad formam, et haec vicissim in materiam inducatur. Nec refert quod finis, ut talis, nondum actu sit. Etsi enim actu minime est in natura rerum, est tamen obiective in mente: bonum vero allicit et movet appetitum, non prout est actu in rerum natura, sed prout est apprehensum (1).

(1) Ex his facile intelligitur quo pacto enumerata causarum genera mutuo connectantur ac invicem dependant. Id paucis et perspicue sic declarat Angelicus. * Sciendum est, quod cum sint quatuor causae superius positaе, earum duae sibi invicem correspondent, et aliae duae similiter. Nam efficiens et finis sibi correspondent invicem, quia efficiens est principium motus, finis autem terminus. Et similiter materia et forma: nam forma dat esse, materia autem recipit. Est igitur efficiens causa finis, finis autem causa efficiens.

III. Finis in practicis est sicut principium in speculativis. — Quemadmodum enim omnis evidētia et cognoscibilitas ex principiis in conclusionem derivatur, sic etiam finis est causa appetendi ea quae sunt ad finem. Atqui in speculatione attenditur ad veri cognitionem, in praxi autem ad operis positionem quae ex appetitione aliqua procedit.

IV. In finium intentione non datur processus in infinitum. — Sensus est, necessario in tali intentione sistendum esse tum in aliquo fine, qui propter alium non appetatur, tum etiam in aliquo ad finem ordinato, ad quod aliud non ordinetur. Ad rem S. Thomas. * Non est possibile in causis movētibz procedere in infinitum; quia non esset primum movens, quo subtracto alia movere non possunt, cum non moveant nisi per hoc quod moventur a primo movente. In finibus autem invenitur duplex ordo, scilicet ordo intentionis et ordo executionis, et in utroque ordine oportet esse aliquid primum. Id enim quod est primum in ordine intentionis est quasi principium movens appetitum; unde subtracto principio, appetitus a nullo moveretur. Id autem, quod est principium in executione, est unde incipit operatio; unde isto principio subtracto, nullus inciperet aliquid operari. Principium autem intentionis est ultimus finis; principium

Efficiens est causa finis, quantum ad esse quidem, quia movendo perducit efficiens ad hoc, quod sit finis. Finis autem est causa efficiens, non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis. Nam efficiens est causa in quantum agit: non autem agit, nisi causa finis. Unde ex fine habet suam causalitatem efficiens. Forma autem et materia sibi invicem sunt causa quantum ad esse. Forma quidem materiae, in quantum dat ei esse actu; materia vero formae, in quantum sustentat ipsam. Dico autem utrumque horum sibi invicem esse causam essendi vel simpliciter vel secundum quid. Nam forma substantialis dat esse materiae simpliciter; forma autem accidentalis secundum quod, prout etiam forma est. Materia etiam quandoque non sustentat formam secundum esse simpliciter, sed secundum quod est forma huius, habens esse in hoc, sicut se habet corpus humanum ad animam rationalem. (5. *Metaph.* lect. 2.)

autem executionis est primum eorum quae sunt ad finem. Sic ergo ex neutra parte possibile est in infinitum procedere: quia si non esset ultimus finis, nihil appetetur, nec aliqua actio terminaretur, nec etiam quiesceret intentio agentis. Si autem non esset primum in his quae sunt ad finem, nullus inciperet aliquid operari, nec terminaretur consilium, sed in infinitum procederet. (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 1. a. 4.*)

V. Primum in intentione est ultimum in executione. — Facile intelligitur ex dictis. In intentione quippe finis habet rationem causae seu principii moventis, in executione vero se habet ut terminus quietans motum appetitus.

VI. Propria ratio et dignitas eorum, quae sunt ad finem, praecipue ex fine mensuratur. — Ex causa enim, prout causa est, optime discognoscitur effectus, cognitio quidem a priori et propter quid. Atqui finis in ordine causarum, ut diximus, primum tenet. Apposite S. Thomas. * Oportet, quod id, quod est ad finem, sit proportionatum fini: et ex hoc sequitur, quod ratio eorum quae sunt ad finem sumitur ex fine: sicut ratio dispositionis serrae sumitur ex sectione, quae est finis eius, ut dicitur in 2. *Physic.* text. 80. ; (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 102. a. 1.*) (1)

(1) Ex hac doctrina colligitur alio et alio modo seu mensura appeti finem, et ea quae sunt ad finem. Quod eleganti plane discursu ita declarat Angelicus. * Modus, ait, importat quandam mensurae determinationem. Haec autem determinatio invenitur et in mensura et in mensurato; aliter tamen et aliter. In mensura enim invenitur essentialiter, quia mensura secundum seipsam est determinativa et modificativa aliorum; in mensuratis autem invenitur secundum aliud, id est in quantum attingunt mensuram. Et ideo in mensura nihil potest accipi immodificatum; sed res mensurata est immodificata nisi mensuram attingat, sive deficit sive excedat. In omnibus autem appetibilibus et agibilibus mensura est finis; quia eorum, quae appetimus et agimus, oportet propriam rationem ex fine accipere, ut patet per Philosophum in 2. *Physicorum*, text. 80. Et ideo finis secundum seipsam habet modum: ea vero quae sunt ad finem, habent modum ex eo, quod sunt fini proportionata. Et ideo,

VII. Qui vult finem, vult et media. — Hoc proloquium, ut veritatem habeat, intelligi debet non de qualibet voluntate seu velletate finis, sed de voluntate simpliciter tali, seria velletate, qua quis ita intendit finem, ut per eum non slet quominus ipsum adipiscatur. Est praeterea intelligendum non de quibuscumque mediis, sed de necessariis, sine quibus videlicet assecutio finis evadit impossibilis. Hoc modo declaratum, merito tale principium inter axiomata recensetur. Secus enim idem simul et sub eodem respectu quis vellet et nollet: quod est plane impossibile.

VIII. Qualis quisque est, talis finis videtur ei. — Ex dispositione enim appetentis fit, ut ei sit aut videatur bonum quod ipsius appetitioni proponitur. Atqui finis est res qua et quia bona.

IX. Nemo intendens ad malum operatur. — Malum quippe est privatio boni: finis vero non movet nisi sub ratione boni, ut dictum est. Confirmatur hoc ex eo quod omnis appetitio seu intentio nititur in appetitione aliqua naturali et innata: haec vero, utpote procedens a summo bono, quod est Deus, nequit in malum esse ordinata. Apposite rursus S. Thomas. * Cum omnia naturalia naturali quadam inclinatione sint inclinata in fines suos a primo motore, qui est Deus, oportet quod illud in quod unumquodque naturaliter inclinatur, sit id quod est volitum vel intentum a Deo. Deus autem cum non habeat alium suae voluntatis finem, nisi se ipsum, et ipse sit ipsa essentia bonitatis, oportet quod omnia alia sint naturaliter inclinata in bonum. (*Qq. Disp. Verit. q. 22. a. 1.*)

sicut Philosophus dicit in 1. *Politic.* c. 6., *appetitus finis in omnibus artibus est absque fine et termino*; eorum autem quae sunt ad finem est aliquis terminus. Non enim medicus imponit aliquem terminum sanitati, sed facit eam perfectam quantumcumque potest; sed medicinae imponit terminum; non enim dat tantam de medicina quantum potest, sed secundum proportionem ad sanitatem, quam quidem proportionem si medicina excederet, vel ab ea deficeret, esset immoderata. (*Summa th. 2. 2^{ae} q. 27. a. 6.*)

SECTIO X.

Utrum omnia propter finem operentur.

668. **Quaestio tractanda.** — Quaestio proposita re non differt ab ea quam Aristoteles exprophesso pertractat 2. *Physic.* c. 8., eiusque resolutio maximi ponderis est sive ad intimam naturam rerum perscrutandam, sive ad primam omnium causam, quae Deus est, cognoscendam. Elsi vero a Philosopho coarctatur ad naturam sensibilem, ac propterea in *Metaphysica* speciali merito ventilatur; ea tamen generalior est et inter totius Philosophiae principia optimo iure recenseri meretur. Huius rei gratia eam in praesenti resolvere intendimus. Est itaque animadvertendum, quod supra declaravimus [663], dupliciter rem aliquam propter finem operari, nimirum *ex intentione* finis, vel *cum intentione* finis dumtaxat. Prior operandi modus manifeste exhibet causalitatem finis, quam significamus particulis *propter, cuius gratia*, aliave consimili. Cum autem id locum habeat dumtaxat in iis quae intellectuali modo ab entibus intellectualibus peraguntur, proposita quaestio hac in parte evidentem habet resolutionem, nec ulteriori declaratione opus est. Contra vero, si agatur de operatione quae praedicto modo non exeratur, qualis potissimum est ea quae in entibus irrationalibus cernitur, merito interrogari potest, num universe verum sit, etiam in tali operationum genere, propriam finis causalitatem locum habere. Atque, ut id coarctemus ad res naturales (ex quibus ad alia facile argumentari licet), quaeritur in re praesenti, num ordo talium rerum ad proprias operationes sit non solum *effectus*, verum etiam *intentus*, h. e. utrum nexus ille quo experientia docente unum ex alio sequitur, puta *videre ad habere oculos, rotare ad habere*

alas, et sic porro, eiusmodi sit, ut *antecedens habeatur ex intentione consequentis, vel contra consequens eveniat tantum quia positum est antecedens*. Quaeritur proinde, num exempligratia solummodo videmus quia oculos habemus, vel potius habemus oculos ut videamus; num conteramus cibos quia dentes acquisivimus, vel ideo dentes habemus ut cibos conteramus. Quoniam vero talis intentio finis non potest locum habere nisi in ente intelligente [663], hinc consectoriarum existit gravissimi momenti, ubi semel constiterit, res naturales tali modo operari. Nempe hoc inde manifeste efficitur, *mundum ab aliqua Intelligentia gubernari*. Ad rem Angelicus. "Dicit (Philosophus) quod natura est de numero illarum causarum quae propter aliquid agunt. Et valet ad quaestionem de Providentia. Ea enim, quae non cognoscunt finem, non tendunt in finem nisi ut directa ab aliquo cognoscente, sicut sagitta a sagittante: unde si natura operatur propter finem, necesse est quod ab aliquo intelligente ordinetur, quod est providentiae opus." (2. *Physic.* lect. 12.)

669. **Modus resolvendi propositam quaestionem.** — Ut autem eluceat, qua ratione oportet modo resolvere hanc quaestionem, revoca in mentem quod in *Logica* exposuimus agentes de demonstratione *circulari* [385, 388]. Huius probationis vis in eo cernitur, quod prius consideretur effectus prout immediata experientia innotescit, et ex tali consideratione deveniatur ad existentiam causae cognoscendam. Tum vero ex natura causae intimius perspecta fit regressus ad effectum, atque ita demonstratione perfecta, seu *propter quid*, explicantur tum ea quae experientia nos edocuit de natura effectus, tum alia quae experientiam praeterlabuntur. Quapropter dupliciter considerare possumus naturae operationem, prout finem spectat. Primo, ex ipso modo quo tales operationes fieri ipsa experientia edocemur, ut inde colligamus eas non casu fortuito contingere, sed alicuius finis obtinendi gratia, atque adeo a superiori aliqua intelligentia motum eiusmodi proficisci. Secundo, postquam attributa huius Intelligentiae rimati fuerimus, licebit ex tali considera-

tione plenius et profundius explicare quorsum spectet totius naturae motus seu operatio. Haec altera consideratio pertinet ad Metaphysicam specialem, cum de Deo O. M. agitur. Prima dumtaxat praesentis est instituti. Quamquam vero de rebus naturalibus potissimum agimus, ut quae immediatae experientiae maxime subiiciuntur, quae tamen subiiciemus facili et consimili ratione, ut diximus, ad alias operationes transferre licebit, puta ad totum ordinem humanae societatis, prout nostris oculis ipsi cernimus vel ab historia didicimus.

THESIS XXX.

Ex ipso modo operandi causarum naturalium perspicue elucet, eas non casu fortuito moveri, sed alicuius finis obtinendi gratia.

670. **Demonstratio.** — Cum haec thesis praecipue adstruatur contra recentiores atheos et materialistas, placet in eius confirmationem adducere ea ipsa argumenta, quibus Aristoteles hanc rem demonstravit 2. *Physic.*, tum quia optime id efficiunt, tum etiam ut hoc hominum genus pudeat, eos in plena luce divinae revelationis minime agnoscere id quod solo ductu naturalis rationis philosophi gentiles agnovissent. Sic itaque arguimus.

Argumentum I. — Res naturales constanter operantur, atque ita ut, saltem ordinariè loquendo, ex earumdem operationibus sequatur quod aptissime congruum est, tum ipsi naturae cuiusque, tum ordini totius universi. Constat hoc manifestissime ex contemplatione etiam unius vel minimae rei naturalis. Atqui ea quae casu fortuito fiunt et non ex intentione agentis, nec semper nec etiam plerumque, sed raro contingunt. Quare casus et fortuna dicuntur causae caecae et sine ratione, quia videlicet effectus earum, utpote raro sequentes, non praevidentur per discursum rationis; cuius rei gratia vocantur etiam

instabiles, fallaces, indeterminatae. Ita fere Philosophus loco citato.

Non una ratione huius argumenti vim materialistae enervare conantur. Primo itaque concedunt has operationes earumdemque effectus non esse casuales, supposita generali dispositione totius universi; sed hanc ipsam dispositionem casu fortuito contigisse, post multas nempe evolutiones materiae elementaris. Sed hoc merito reprehendit Aristoteles (2. *Physic.* c. 4.). Est enim plane irrationabile, casum denegare in ordinatione quae elucet in animalibus, plantis, ceterisque rebus naturalibus in particulari, eumque confingere in formatione et ordinatione totius mundi, quae est profecto aliquid longe divinius. Praeterea addit, in causis particularibus etsi raro quandoque tamen aliquid dicimus fieri fortuito, ex causali nempe concursu non praevisto alterius causae particularis. Quae contra ad generalem universi ordinationem pertinent, constantissimo plane modo peraguntur. Quocirca est ab omni recta ratione plane alienum, ut causae particulares dicantur propter finem operari, generalem vero earumdem mutuum dispositionem ac distinctionem casu contigisse. Neque factae ratiocinationi obstant *monstra*, quae pluries contingunt ex naturae operatione, quae propterea dicuntur *peccata naturae*, quia natura in iis a suo fine deerrat. Immo, si quis bene considerat, inde ea quae dicimus confirmantur potius. Apposite S. Thomas ex mente Aristotelis. "Licet, ait, ars agat propter aliquid, tamen in iis quae fiunt secundum artem contingit fieri peccatum; quia aliquando grammaticus non recte scribit, et medicus quandoque potat aliquem medicinali potione non recte. Unde manifestum est, quod contingit peccatum esse etiam in iis, quae sunt secundum naturam, quamvis natura propter aliquid operetur. In arte autem eorum, quae propter aliquid fiunt, quaedam fiunt secundum artem et recte fiunt; quaedam autem sunt, in quibus artifex fallitur non secundum artem agens; et in his contingit peccatum, arte propter aliquid agente. Si enim ars non ageret ad determinatum finem, qualiter

cumque ars operaretur, non esset peccatum; quia operatio artis aequaliter se haberet ad omnia. Hoc ipsum igitur quod in arte contingit esse peccatum, est signum quod ars propter aliquid operetur. Ita etiam contingit in naturalibus rebus, in quibus monstra sunt quasi naturae peccata propter aliquid agentis, in quantum deficit recta operatio naturae: et hoc ipsum quod in naturalibus contingit esse peccatum est signum quod natura propter aliquid agat. „ (2. *Physic.* lect. 14.)

Alterum, quod responderi potest, ac reipsa respondetur a materialistis contra factum argumentum, in eo est, ut constantia et uniformitas quae elucet in operationibus naturalibus repetatur ex *fatali necessitate* materiae elementaris, quae in sui natura habet ut sic evolvatur. Hac ratione loco *casus*, inducitur *fatium*, ut naturae finalitas de medio pellatur. Ceterum neque haec instantia casum eliminat, sed sub alio vocabulo in scenam adducit. Materia enim, tametsi ponatur elementaribus formis ac viribus instructa, est indifferens ad infinitas propemodum et contrarias etiam formas motusque. Atqui ex indeterminato nihil determinatum per se haberi potest, nisi ad summum raro et casualiter. Apposite rursus S. Thomas, „ Antiquissimi philosophi, ait, tantum posuerunt causam materialem; unde cum non ponerent causam agentem, nec poterunt ponere finem, quae non est causa nisi in quantum movet agentem. Alii autem posteriore ponebant causam agentem, nihil dicentes de causa finali. Et secundum utrosque omnia procedebant de necessitate causarum praecedentium, vel materiae, vel agentis. Sed haec positio hoc modo a philosophis improbat. Causae enim materialis et agens, in quantum huiusmodi, sunt effectui causa essendi; non autem sufficienti ad causandam bonitatem in effectu, secundum quam sit conveniens, et in seipso ut permanere possit, et in aliis ut opituletur. Verbigratia, calor de sui ratione, quantum de se est, habet dissolvere: dissolutio autem non est conveniens et bona, nisi secundum aliquem certum terminum et modum. Unde, si non poneremus aliam causam, praeter calorem,

et huiusmodi agentia in natura, non possemus assignare causam, quare res convenienter fiant et bene. Omne autem, quod non habet causam determinatam, casu accidit. Unde oporteret secundum positionem praedictam, ut omnes convenientiae et utilitates, quae inveniuntur in rebus, essent casuales; quod etiam Empedocles posuit, dicens casu venisse, ut per amicitiam hoc modo congregentur partes animalium, ut animal salvari posset, et quod multoties accidit. Hoc autem non potest esse. Ea enim, quae casu accidunt, proveniunt ut in minori parte; videmus autem huiusmodi convenientias et utilitates accidere in operibus naturae, aut semper, aut in maiori parte. „ (Qq. *Disp. Verit.* q. 5. a. 2.)

671. **Argumentum II.** — Ars imitatur naturam, pro eo quod consimilis processus est utriusque in disponendis iis quae praerire debent aut subsequi iuxta exigentiam aut convenientiam rerum efficiendarum. Atqui ea quae fiunt ex arte, sunt propter finem. Ergo id etiam fateri oportet de operatione naturae, idque eo potiori iure quod ars imitatur quidem naturam, eam tamen non assequitur. „ Similiter enim, ait S. Thomas, ex prioribus pervenitur ad posteriora in arte et in natura: unde si artificialia, ut domus, fierent a natura, hoc ordine fierent quo nunc fiunt per artem; scilicet prius institueretur fundamentum, et postea erigerentur parietes, et ultimo supponeretur lectum. Hoc modo procedit natura in iis, quae sunt terrae affixa, scilicet plantis, quarum radices quasi fundamentum terrae infinguntur, stipes vero ad modum parietis elevatur in altum, frondes autem supereminunt ad modum tecti. Et similiter si ea, quae fiunt a natura, fierent ab arte, hoc modo fierent sicut apta nata sunt fieri a natura, ut patet in sanitate, quam contingit fieri et ab arte et a natura, sicut enim natura sanat calefaciendo et infrigidando, ita et ars. Unde manifestum est, quod in natura est alterum propter alterum, scilicet priora propter posteriora, sicut et in arte. „ (2. *Physic.* lect. 13.)

Neque obstat huic argumento, quod natura minime

deliberat, ut contingit respectu eorum quae ex arte fiunt. Ut enim pulchre et acute respondet Philosophus, neque artifex deliberat, prout est artifex, sed quatenus deficit a certitudine artis, et illi etiam artifices qui deliberant, simul ac inveniunt certum aliquod artis principium, continuo a deliberatione desistunt. * Ex quo patet, addit Aquinas, quod non deliberare contingit alicui agenti, non quia non agit propter finem, sed quia habet determinatam media per quae agit. Unde et quia natura habet determinatam media per quae agit, propter hoc non deliberat. *In nullo enim alio natura ab arte videtur differre, nisi quia natura est principium intrinsecum, et ars est principium extrinsecum.* Si enim ars factiva navis esset intrinseca ligno, facta fuisset a natura, sicut modo fit ab arte. (loc. cit. lect. 14.)

672. **Argumentum III.** — Cum naturalis processus rationis sit a notioribus, oportet modum operandi rerum naturalium contemplerur in iis in quibus naturae operatio clarius elucescit. Porro id maxime locum habet in animalibus, et in plantis. Quare inde potissimum colligere licet, utrum nec ne naturae operatio finalibus rationibus regatur. Atqui in his profecto luce meridiana clarius est id quod asserimus. Egrege rursus Angelicus Doctor ita hoc argumentum a Philosopho allatum declarat. * Sumitur haec ratio, ait, ab iis quae manifestius in natura propter aliquid operari videntur. Unde dicitur, quod naturam operari propter aliquid maxime est manifestum in animalibus, quae neque operantur per artem, neque per inquisitionem, neque per deliberationem; et tamen illi manifestum est in operationibus eorum, quod propter aliquid operantur, quod quidam dubitaverunt, utrum aranei et formicae et huiusmodi animalia operentur per intellectum, vel per aliquod aliud principium. Sed tamen hoc fit manifestum, quod non operentur ex intellectu, sed per naturam, quia semper eodem modo operantur: omnis enim hirundo similiter facit nidum, et omnis araneus similiter facit telam, quod non esset si ab intellectu et arte operarentur; non enim omnis aedificator si-

militer facit domum, quia artifex habet indicare de forma artificiali, et potest eam variare. Uterius autem procedenti de animalibus ad plantas, in iis etiam apparet, quaedam esse facta ut utilia ad finem, sicut folia sunt utilia propter cooperationem fructuum. Unde, quia hoc est a natura, et non ab arte, quod hirundo faciat nidum, et araneus telam, et plantae producant folia fructuum, et radices sint in plantis non sursum, sed deorsum ut accipiant nutrimentum a terra; manifestum est, quod causa finalis invenitur in iis quae fiunt et sunt a natura, scilicet propter aliquid operante. (loc. cit. lect. 13.)

673. **Coroll. I.** — **Existencia supremi naturae Gubernatoris.** — Ex dictis manifestum est totius naturae motus et operationes ex superioris Intelligentiae ordinatione proficisci. Patet ex declaratione tradita de propria causalitate causae finalis [663]. Quare S. Thomas. * Quod intellectu caret vel cognitione, non potest directe in finem tendere, nisi per aliquam cognitionem et praesituarum finis et dirigatur in ipsum; unde oportet, cum res naturales cognitione careant, quod praexistat aliquis intellectus, qui res naturales in finem ordinet, ad modum quo sagittator dat sagittae certum motum ut tendat ad determinatum finem. Unde sicut perussio quae fit per sagittam non tantum dicitur opus sagittae sed proficientis, ita etiam omne opus naturae dicitur a philosophis opus intelligentiae. (Qq. Disp. Verit. q. 5. a. 2.)

674. **Coroll. II.** — **Naturae necessitas unde orientur.** — Inde etiam colligitur, operationes et effectus naturales necessario quidem consequi ex activitate agentium naturalium et materiae dispositione: sed *rationem huius necessitatis* a fine esse repetendam. Sic etiam in operibus artis, puta in structura domus, eius dispositio necessario certe consequitur ex principis materialibus et efficien- tibus unde aedificatio domus procedit, ratio autem eorum haec effectio seu aedificatio habeatur est a fine, cooperandi videlicet et salvandi homines ab aestu et a pluviiis. Unde ulterius concludit Philosophus, in naturali investigatione potius assignandam esse causam finalem, quam

materialem. *Ambae quidem causae, ait, tradendae sunt a naturali, magis tamen ea cuius gratia; haec enim est causa materiae, non ipsa materia est causa finis.* (lib. cit. c. ultim.)

675. *Coroll. III.* — **Quis sit finis proprius rerum naturalium.** — Patet denique, id censerī debere finem proprium cuiusque rei naturalis, ad quem propterea ex naturae Auctore dirigitur, quod in ordinato naturae cursu evenire solet. Quo pacto autem id fiat in generali ordinatione totius universe, sic eleganti plane ratione explicat Angelicus. * Considerandum est, quod ex omnibus creaturis constituitur totum universum, sicut totum ex partibus. Si autem alicuius totius et partium eius velimus finem assignare, inveniēmus primo quidem, quod singulae partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum; secundo autem, quod pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum, et pulmo propter cor; tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam (partes enim sunt quasi materia totius); ulterius autem totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, puta ut fruatur Deo. Sic igitur et in partibus universi unaquaeque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem: secundo autem creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturae quae sunt infra hominem sunt propter hominem: singulae autem creaturae sunt propter perfectionem totius universi: ulterius autem totum universum eum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem, in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repraesentatur ad gloriam Dei; quamvis creaturae rationales speciali quodam modo supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione, cognoscendo et amando. (Summa th. I. p. q. 65. a. 2.) Haec modo inuisse sufficiat; uberiorem enim, ut diximus, et profundiorē declarationem exposcunt in theologia naturali.

SECTIO XI.

Pronuntiata quaedam generalia de causalitate entium.

676. **Argumentum.** — Hactenus tum generalem causae notionem, tum quae de singulis causarum generibus dictū videbantur opportuna, exposuimus. Supersunt modo axiomata quaedam seu principia declaranda, quae causalitatem entium respiciunt universe ac generaliter. Ideo autem hunc tractatum postremo loco habemus, quia in huiusmodi principiis nihil magis conferre potest ad veritatem ipsorum percipiendam et declarandam, quam explicatio terminorum quibus constant, et inductio collecta ex peculiaribus subiectis quibus applicantur [397, 420]: quae duo ex iis, quae praeiacta sunt, in re praesenti facile intelliguntur.

677. *Principium I.* — **Non datur effectus sine causa.**

Sic enuntiatur quod communiter vocari solet *principium causalitatis*, eoque duntaxat significatur necessaria relatio quae existit inter effectum quemcumque eiusque causam. Impossible est enim dari relativum, prout huiusmodi, sine termino suae relationis: omnis vero effectus, quae talis, respicit suam causam.

Exinde haec inferuntur.

I. Semper ac aliquid fit, scilicet a non esse transit ad esse, dari oportet causam *efficientem*, a qua fiat. Omne enim factum est effectus causae efficientis [612]. Hoc modo effatum causalitatis resolvitur in illud axioma: *Nihil reductur de potentia in actum, nisi per aliquod ens acta* [571].

II. Nullum datur compositum ex materia et forma sine proportionata causa materiali et formali, ut contingit

in iis omnibus quae transmutatione vera et reali efficiuntur. Tale enim compositum est effectus non modo efficiens, sed etiam materialis ac formalis causae [649].

III. Semper ac aliquid fit, non casu fortuito, sed alicuius finis obtinendi gratia, oportere ut causa quoque finalis subaudiatur ac propterea intelligentia aliqua in qua huiusemodi causa suum influxum exercere possit [506]. Hac ratione, in sectione praecedenti, ex modo operandi causarum naturalium demonstravimus earundem finalitatem, et consequenter existentiam supremam cuiusdam intelligentiae a qua in propriis fines dirigantur.

IV. Sensus praedicti axiomatis perperam a quibusdam restringitur ad solam causam efficientem. Quamquam enim hoc causarum genus est notius, dantur tamen et alia causarum genera. Causalitatis porro axioma generalissimum est, ac propterea habet locum etiam respectu causae materialis, formalis, et finalis, modo quis bene praenoscatur quomodo sit proprius effectus earundem.

678. *Principium II.* — *Nihil est sine ratione sufficienti.*

Hoc est effectum rationis sufficientis, ac differt a praecedenti, ut patebit ex terminorum explicatione.

Dicitur 1. *Nihil est.* Hoc generalissime est accipiendum secundum triplicem modum, quo intelligitur esse sive essendi actus qui per \rightarrow est significatur [432]. Quare hoc effectum applicationem habet, sive respectu essentiae, sive respectu existentiae, idque tam in ordine reali, quam in ordine mentalis compositionis.

Dicitur 2. *sine ratione sufficienti.* Ratio significat in praesenti id quo intelligitur vel intelligibile fit aliquid esse potius quam non esse. Erit sufficiens, si nihil amplius requiritur ut rationatum sit; contra dicitur insufficientis vel etiam inadaequata. Iam vero huiusmodi ratio duplex distinguenda est. Primo enim sic vocatur ea quam significat nomen, seu definitio: quo modo dicitur ex. gr. *ratio vitae, ratio substantiae*, etc. [9, 10]. Patet autem, nihil dari sine ratione sufficienti hoc priori modo intellecta. Id enim perinde esset ac dari aliquid cui nullus conceptus respon-

det: quod certe repugnat ontologicae veritati entium. Appellatur deinde ratio cuiusque rei principium unde dependet: intellectus enim principis, intelligitur id quod inde dependet. Talia porro principia sunt causae. Quare, si de tali ratione sufficienti sit sermo, effectum rationis sufficientis resolvitur in axioma causalitatis, ac propterea non habet applicationem nisi in iis quae causam habent. Si enim daretur effectus sine causa sufficienti, eo ipso daretur effectus sine causa: quae enim est insufficientis, non est causa, simpliciter loquendo.

679. *Principium III.* — *In omni causarum genere, causa est naturaliter prior effectu.*

Ita S. Thomas (Qq. Disp. *Verit.* q. 25. a. 7.), et ratio patet ex terminis. Nam secundum ipsum naturae ordinem prius intelligitur esse id, unde aliquid naturaliter dependet, quam hoc aliud quod ab eo dependet. Atqui effectus quilibet naturaliter dependet a sua causa. Confer quae supra diximus [504]. Ceterum, ne in applicatione huius effecti deerret, plura diligenter sunt observanda.

I. In causa efficienti et finali facile intelligitur haec prioritas cum proportione accommodata ad modum causalitatis utriusque causae. Agens enim vera et physica sua operatione effectum de potentia reducit in actum. Patet autem, non posse talem influxum exerceri ab agente, nisi intelligatur ipsum esse actu in natura rerum. Ergo prius, secundum naturae ordinem, debet intelligi esse actu in natura agens, quam sit eius effectus. Et hoc sensu maxime valet illud effectum: *Actus praecedit potentiam ratione ac substantia* [575]. Id ipsum, propter similem rationem, intelligi debet de causa finali, sed in *ordine intentionis*, quatenus prius debet finis actu intelligi, quam actu sint ea quae propter finem efficiens operatur.

II. Quod attinet ad causam materialem quae sit causa *in ipso fieri* compositi, ut contingit in iis quae transmutatione efficiuntur, res etiam facilis est. Effectio enim agentis, prout transmutatione operatur, dependet a materia praeeistenti. Quare prius oportet intelligere, quod actu sit in natura rerum materia quae in actum

formae transmutatur, quam sit compositum, quod est terminus totius transmutationis. Hinc ad prioritatem talis materiae requiritur eius existentia actualis.

III. Difficultas remanet quoad causam formalem et etiam materialem, prout sunt causae *essendi* respectu compositi. Ad huius porro intelligentiam revoca in mentem, quod ante notavimus [648] ex doctrina Angelici, nimirum tum materiam tum formam respectu totius quidditatis se habere tamquam partes materiales. Notandum est praeterea, quod licet forma respectu materiae se habeat ut actus, utraque tamen ad ipsum esse compositi comparatur ut potentia [588.....] (1). His praesuppositis, manifestum est, tum in causa materiali et formali, tum etiam in tota rei (creatae) quidditate, nullam aliam dari naturae prioritatem respectu ipsius esse totius compositi, nisi eam quae est *potentiae ad actum*, ac propterea recipientis et imperfecti ad receptum et perfectivum. Quare ad tale genus prioritatis, ut quod in ipsa essentia consistit, minime requiritur ipsum esse actu in natura rerum. Confer quae supra notavimus [595].

680. *Principium IV.* — **Nihil est sui causa efficiens.**

Intelligitur hoc axioma de primo esse rei. Nihil enim prohibet, quominus aliquid iam existens producat seipsum, quantum ad esse aliquid accidentale, ut contingit cum ex. gr. intelligimus aut volumus. Est porro per se

(1) * Nec forma est ipsum esse, sed se habent secundum ordinem. Comparatur enim forma ad ipsum esse, sicut lux ad lucidum, et albedo ad album esse; deinde, quia ad ipsam etiam formam comparatur ipsum esse ut actus. Per hoc enim, in compositis ex materia et forma, forma dicitur principium essendi, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum esse: sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit eum proprium subiectum luminis. Unde in compositis ex materia et forma, nec materia nec forma potest dici ipsum quod est, nec etiam ipsum esse; forma tamen potest dici ipsum quod est, nec etiam ipsum esse: ipsa autem tota substantia est ipsum quod est; et ipsum esse est, quod substantia denominatur ens. — S. THOMAS (2. *Cont. Gent.* c. 54).

evidens hoc effatum. Causa enim efficiens, prout talis, actu sit oportet in natura rerum; ut in praecedenti axioma explicavimus. Effectus contra causae efficientis, priusquam fiat, non habet esse in natura rerum, sed illud recipere debet per influentiam exterioris agentis. Si itaque res aliqua seipsam efficeret, idem simul esset et non esset, quod est impossibile. Apposite S. Thomas. * Prius, secundum intellectum, est causam esse quam effectum. Si ergo aliquid sibi ipsi esset causa essendi, intelligeretur esse antequam haberet esse; quod est impossibile. — (1. *Cont. Gent.* c. 22.) (1)

681. *Principium V.* — **Bonum est diffusivum sui.**

Sensum huius proloquii eleganter expositum habes apud S. Thomam sic aientem. * Dicendum, quod *diffundere* licet secundum proprietatem vocabuli videatur importare operationem causae efficientis, tamen largo modo potest importare habitudinem cuiuscumque causae, sicut influere, et facere, et alia huiusmodi. Cum autem dicitur, quod *bonum est diffusivum secundum sui rationem*, non est intelligenda effusio secundum quod importat operationem causae efficientis, sed secundum quod importat habitudinem causae finalis: et talis diffusio non est mediante aliqua virtute superaddita. Dicit autem bonum diffusionem causae finalis, et non causae agentis, tum quia

(1) Huc facit etiam evidens argumentatio, qua utitur S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 3. a. 4.) in hunc modum. * Quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam eius, oportet esse causatum, vel a principis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem, et causatur ex principis essentialibus speciei; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum esse rei aliud sit ab eius essentia, necesse est quod esse illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principis essentialibus eiusdem rei. Impossibile est autem quod esse sit causatum tantum ex principis essentialibus rei; quia nulla res sufficit quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum. Oportet ergo quod illud, cuius esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio.

efficiens, in quantum huiusmodi, non est rei mensura et perfectio, sed magis initium; tum quia effectus participat causam efficientem secundum assimilationem formae tantum, sed finem consequitur res secundum totum esse suum, et in hoc consistebat ratio boni. » (Qq. Disp. Verit. 21. a. 1. ad 4.)

682. *Principium VI.* — **Omne agens agit sibi simile.**

Ratio huius effati eadem est quam ante [571, 575] exposuimus. Quaecumque enim perfectio quae est in effectu per actionem agentis, concipitur in hoc esse sicut in fonte unde ipsa in effectum derivetur. Haec porro communicatio dupliciter intelligi potest. Uno modo per *identitatem* proprie talem, quatenus illa ipsa numero perfectio, quae est in effectu, praeficitur in sua causa effectiva. Alio modo secundum *similitudinem*, pro eo quod perfectio quae effectui tribuitur ab agente, tametsi alia sit a perfectione istius, eam tamen imitatur, quemadmodum ex. gr. scientia discipuli assimilatur scientiae sui magistri. Iam vero primum est impossibile; destrueret quippe ipsum conceptum causae efficientis [608]. Ergo haec communicatio intelligi debet per viam similitudinis. Quare S. Thomas. * De natura agentis est, ut agens sibi simile agat, quum unumquodque agat secundum quod actu est. » (1. Cont. Gent. c. 29.) Hic vero plura sunt diligenter notanda.

I. Hoc effatum, proprie et severe loquendo, non habet locum in causa instrumentali, prout talis est, sed in causa principali. Ut enim ante [612] declaravimus, causa instrumentalis, qua talis, prout scilicet ab agente principali evehitur ad effectum se nobiliorem producendum, tendit ad illum assimilandum non sibi, sed ipsi causae principali a qua evehitur et movetur.

II. Non eodem modo haec similitudo habetur in effectibus univocis et aequivocis [618]. Discrimen in hoc est. Effectus nempe univoci conveniunt cum causa secundum perfectionem eiusdem rationis; aequivoci vero secundum perfectionem diversae rationis, ita tamen ut

in causa principali haec perfectio praeficitur secundum modum excellentiorem. * Quidquid perfectionis, ait S. Thomas, est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva, vel secundum eandem rationem, si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel eminentiori modo, si sit agens aequivocum, sicut in sole est similitudo eorum, quae generantur per virtutem solis. » (Summa th. 1. p. q. 4. a. 2.)

III. Aliter etiam haec similitudo habetur in agente naturali, et aliter in agente per intellectum. Ut enim ante declaravimus cum S. Thoma [657], in agente naturali praeficitur forma rei fiendae secundum *esse naturale*, in causa vero agente per intellectum praeficitur secundum *esse intelligibile*.

683. *Principium VII.* — **Causa, quo altior, eo est communior, efficacior, profundior, et de remotiori potentia reducit in actum.**

Habet locum potissimum in causa agente, eiusque veritas perspicua est, si termini rite intelligantur. Dicitur porro causa agens esse *altior*, non secundum quantitatem molis, sed secundum virtutis eminentiam. Quocirca causa agens, quo plus praestat in virtute, eo est

I. *Communior*, communitate scilicet causalitatis [329, 373]. Ad rem S. Thomas. * Quanto causa est altior, tanto eius causalitas ad plura se extendit. Habet enim causa altior proprium causatum altius, quod est communius et in pluribus inventum. Sicut in artificialibus patet, quod ars politica, quae est supra militarem, ad totum statum communitatis se extendit; militaris autem solum ad eos qui in ordine militari continentur. » (6. *Metaph.* lect. 3.) Quoniam vero efficiens propter finem operatur, hinc ulterius idem S. Doctor sic pulcherrime discurrit. * Quanto aliquid est perfectioris virtutis et eminentius in gradu bonitatis, tanto appetitum boni communiorem habet et magis in distantibus a se bonum quaerit et operatur. Nam imperfecta ad solum bonum proprii individui tendunt; perfecta vero ad bonum speciei; perfectiora vero ad bonum generis; Deus autem, qui est perfectissimus

in bonitate, ad bonum totius entis. Unde non immerito dicitur a quibusdam, quod bonum, in quantum huiusmodi, est diffusivum; quia, quanto aliquid invenitur melius, tanto ad remotiora bonitatem suam diffundit. » (3. *Cont. Gent. c. 24.*)

II. *Efficacior*, h. e. infrustrabilior. Cuiusque enim agentis virtus suo frustratur effectu, vel propter defectum ipsius virtutis, vel ob resistantiam sive contrariam dispositionum materiae sive aliorum agentium. Iam vero, quo causa est altior, eo minorem defectum virtutis habet, ut patet ex terminis: quo virtuosior autem est, eo magis vincit ac sibi subicit contraria quae resistunt.

III. *Profundior*. Dicitur virtus agentis profundius seu intimius ingredi in effectum, quo profundior seu intimior est ratio sub qua directe ac per se a causa respicitur: haec vero ratio quo communior est, eo invenitur esse profundior et intimior, quemadmodum esse intimius alicui convenit quam vivere, et vivere quam intelligere. Porro quo causa est altior, sub communiore ratione per se directe respicit suum causatum. Ad rem S. Thomas. * Quanto aliqua causa est superior, tanto ad plura se extendit in causando. Semper autem id, quod subternitur in rebus, invenitur communius, quam id, quod informat et restringit ipsum, sicut esse quam vivere, et vivere quam intelligere, et materia quam forma. Quanto ergo aliquid est magis substratum, tanto a superiori causa directe procedit. » (*Summa th. 1. p. q. 65. a. 3.*)

IV. *Et de remotiore potentia reducit in actum*. Sermo hic est de potentia quae opponitur actui, passiva scilicet. Dupliciter autem dicitur magis minusve elongata ab actu. Uno modo, ob contrarias dispositiones quibus prohibetur, ne actu aliquo informetur. Si intellectus quo magis obfirmatus est in aliquo errore, eo plus est indispositus ad veritatem oppositam capiendam. Alio modo id habetur, prout magis minusve caret actualionibus intermedis, quibus secundum naturae ordinem perfecti saepenumero debet quo ulteriores actum consequatur. Si intellectus eo plus distat a veritate alienius conclusionis,

quo minus percipit de veritate praemissarum, quae mediae sunt inter ipsam et prima principia. Atqui manifestum est, in utroque casu, eo altiori causa opus esse, quo remotior est potentia a suo actu. Resistentia enim contrariorum dispositionum superatur per efficaciam virtutis, ut dictum est: secundum vero modum efficaciae virtutis activae est etiam modus actualionis, qua potentia passiva completur [571]. Sic, ut sistamus in exemplo supra allato, quo praestantior est magister, eo facilius discipuli ad errorem dedocentur et compendiosiore via ad veritatem adducuntur.

684. *Principium VIII.* — Nullus effectus univocus pendet a sua causa directe secundum esse, sed tantum in fieri.

Ut ante notavimus [608, III.] effectus dicitur pendere a sua causa directe secundum esse, cum ab ea dependet praecise ut sit in natura rerum, ac propterea nequit intelligi, eum esse in natura rerum, quin sit eius effectus. Contra, si haec dependentia habeatur, attento dumtaxat modo determinatae alicuius effectiois, quo incipit esse, dicitur pendere in fieri: sic se habet homo, prout naturali generatione existit in rerum natura. Id eleganter explicat S. Thomas, tum in artificialibus, tum in naturalibus. * Aedificator enim, ait, est causa domus quantum ad eius fieri, non autem directe quantum ad esse eius. Manifestum est enim, quod esse domus consequitur formam eius: forma autem domus est compositio et ordo; quae quidem forma consequitur naturalem virtutem quarundam rerum. Sicut enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturalem activam, scilicet ignis; ita aedificator facit domum adhibendo caementum, lapides, et ligna; quae sunt susceptiva et conservativa talis compositionis et ordinis. Unde esse domus dependet ex naturis harum rerum, sicut fieri domus dependet ex actione aedificatoris. Et simili ratione est considerandum in rebus naturalibus. Quia si aliquod agens non est causa formae, in quantum huiusmodi, non erit per se causa esse, quod consequitur ad talem formam, sed erit causa

effectus secundum fieri tantum. » (*Summa th. 1. p. q. 104. a. 1.*)

Ex tradita declaratione facile patet ratio axiomatis, quo de agimus. Cum enim aliquid *per se et absolute consideratum*, dependet ab aliqua causa, necesse est ut similem dependentiam habeat in quocumque inveniatur [335. II]. Si itaque aliquis effectus, puta Petrus, *in quantum homo*, dependet per se ab aliqua causa, necesse est ut talis dependentia inveniatur in quolibet homine. Atqui repugnat, causam huiuscemodi esse eiusdem rationis cum effectu, puta hominem; sic enim produceret seipsam. Ergo impossibile est, ut effectus quilibet, per se et absolute consideratus, dependeat a causa eiusdem rationis, nempe univoca. Quare S. Thomas scite ait loco citato. * Manifestum est quod si aliqua duo sunt eiusdem speciei, unum non potest esse per se causa formae alterius, in quantum est talis forma; quia sic esset causa formae propriae, cum sit eadem ratio utriusque; sed potest esse causa huiusmodi formae secundum quod est in materia, id est, quod haec materia acquirit hanc formam; et hoc est esse causam secundum fieri, sicut cum homo generat hominem, et ignis ignem. »

685. *Principium IX.* — **Omne unum in multis oportet esse ab una causa.**

Huius effati rationem sic paucis explicat Angelicus. * Si enim diversa, ait, in aliquo uniantur, necesse est huius unionis causam esse aliquam: non enim diversa secundum se uniantur. Et inde est, quod quandoecumque in diversis invenitur aliquid unum, oportet quod illa diversa illud unum ab aliqua una causa recipiant. » (*Summa th. 1. p. q. 65. a. 1.*) Id ipsum uberius explicatum invenies ab eodem S. Doctore (*Qq. Disp. Pot. q. 7. a. 2.*).

686. *Principium X.* — **Quod est maxime tale in aliquo genere, est causa ceterorum quae sunt illius generis.**

Hoc effatum, si rite intelligatur, sublimissimam veritatem continet, eoque Angelicus, duce B. Augustino, utitur ad existentiam divinam ac divina attributa demon-

stranda, ut ex theologia naturali suppono. Hunc porro sensum continet sic expressum: *Illud in quo perfectio aliqua nobilissimum essendi modum habet, est causa ceterorum in quibus eadem perfectio deficienter et minorata invenitur.* Ratio haec est. Quae enim in aliquo genere perfectionis inferiora sunt aliis, non ex seipsis, sed ab alio id participant. Nam quod ex se existit, existit eo modo quo possibile est, ac propterea si perfectio aliqua ex se existit, debet profecto existere secundum omnem gradum nobilitatis qui ei competere potest. Quod si inferiora ea, quae participant, ab alio tamquam causa accepta habent, haec profecto causa nequit esse, nisi id cui perfectio, quae in multis reperitur, maxime convenit, h. e. secundum nobilissimum essendi modum cuius est capax. Apposite S. Thomas. * Cum aliquid, inquit, invenitur a pluribus diversimode participatum, oportet quod ab eo, in quo perfectissime invenitur, attribuitur omnibus illis in quibus imperfective invenitur. Nam ea, quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquiori ad aliquid unum. *Si enim unicuique eorum ex seipso illud conveniret, non esset ratio, cur perfectius in uno quam in alio inveniretur.* » (*Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 5.*)

Nec valet obicere, quod ex hac arguendi ratione admittere oporteret aliquid quod sit *maxime homo*, vel *maxime album*, et quod hoc sit causa ceterorum hominum vel alborum, quod nemo profecto dicit. Negatur enim illatio. Et quod affinet ad exemplum primo loco inductum, scilicet de homine, negandum est plane suppositum, dari videlicet aliquem, qui sit magis minusve homo quam ceteri. Hanc enim inaequalitatem perfectionum manifeste supponit effatum, de quo in praesenti. Id vero, unde aliquid speciem desumit, sicut humanitas, non participatur in diversis secundum magis et minus, sed positum est in indivisibili. Quod vero spectat aliud exemplum ductum ex albedine, diligenter observare oportet, dari quasdam perfectiones quae in suo formali conceptu imperfectionem adnexam habent, ut sunt perfe-

ctiones omnes materiales, qua tales. Porro in istiusmodi perfectionibus nobilissimus essendi modus earundem non est secundum actum formalem ipsarum; esset enim manifesta implicancia; sed quaerendus est in altiori aliqua perfectione, in qua eminentiori modo ipsae contineantur; et haec profecto debet esse prima radix et causa ceterorum, in quibus eadem perfectio ignobiliorem essendi modum nanciscitur.

687. *Principium XI.* — In causis per se ordinatis repugnat processus in infinitum, h. e. sine causa prima.

Hoc principium exprofesso probat Philosophus initio suae Metaphysicae; pertinet enim ad ipsa huius disciplinae quasi fundamenta. Sermo est de causis *per se ordinatis in causando*, quatenus una ab alia pendet vel in esse, vel in ipso influxu quem ipsa praebet in suum effectum.

Aristoteles veritatem huius effati ostendit speciatim in singulis causarum generibus. Ceterum, ratio qua utitur pro causa efficienti, si bene penetretur, rem demonstrat etiam in aliis causis. Huc porro recidit. Si enim huiusmodi processus daretur, omnes causae, praeter ultimam, essent mediae, videlicet haberent aliam superiorem et aliam inferiorem. Atqui si hoc, nulla omnino earum esset causa, quod repugnat hypotesi. Ratio est, quia in causis per se ordinatis, quemadmodum medium est causa ultimi, ita primum est causa medi. Atqui,posito processu in infinitum, minime daretur causa prima: remota autem causa, removetur effectus: ergo in causis per se ordinatis nulla daretur causa media. Neque valet, quod medium dicatur unum vel plura, finita vel infinita; quia dummodo habeant rationem medi nequeunt esse causa omnium, sed solum ultimi aut posteriorum, ac propterea necessario egent aliquo superiori, quod medium non sit, et a quo pendeant in causando, ut recte notavit Scotus (1. *Dist.* 2. q. 2.): *Tota enim*, inquit, *universitas dependentium dependet et a nullo illius unitatis.*

688. *Principium XII.* — Propter quod unumquodque tale, et illud magis.

Ita Aristoteles (1. *Poster.* c. 2.). Etsi vero hoc proloquium prima fronte multis instantibus obnoxium esse videtur, si tamen eius termini in legitimo sensu accipiuntur, manifestam continet veritatem. Quocirca haec observa.

Dicitur 1. *Propter quod*. Hac particula significatur imprimis, hoc effatum non habere locum in causis formalibus, quibus res intrinsecus constituitur. Non enim causalitas ipsarum particula *propter* designari solet. Ad rem S. Thomas. "Virtus vel honestum non est causa finalis quare amicus diligatur, sed formaliter facit eum diligibilem: unde non sequitur, quod virtus sit magis diligibilis, vel eadem ratione diligibilis; sicut non sequitur, quod albedo sit magis alba, quam corpus album." (3. *Dist.* 28. q. 1. a. 1. ad 2.) Idem dicas de materia, prout est causa essendi: se habet enim respectu suppositi per modum causae formalis [648]. Excluditur etiam ab hoc pronuntiato causa instrumentalis, prout huiusmodi. Cum enim instrumentum agat in virtute principalis agentis, non dicitur simpliciter res esse *propter* instrumentum, sed propter causam principalem. Quare S. Thomas. "Non est, ait, eadem ratio principalis agentis et instrumenti: nam principale agens oportet esse potius: quod non requiritur in agente instrumentali." (*Summa th.* 2. 2^{ae} q. 165. a. 2. ad 1.)

Dicitur 2. *unumquodque tale*. His verbis exprimitur causa *essendi* non *fiendi*. Nihil enim prohibet causas fiendi non excedere suos effectus in perfectione. Quocirca proloquium Philosophi habet locum in causa principali (efficienti vel finali), unde dependet effectus quoad esse. Talis quippe causa aequivoca sit oportet, ac propterea potior et nobilior suo effectu [682. II.]. Apposte Angelicus. "Dictum Philosophi, ait, verificatur quando illud quod convenit alicui propter aliquid aliud, est diversum in utroque, et praecipue quando unum est causa alterius essentiali ordine causae; tunc enim causalitas sua est respectu totius speciei, et non unius individui tantum, ut

dicit Avicenna 9. *Metaph.* c. 2. (1. *Dist.* 12. q. 1. a. 2. ad 1.)

Dicitur 3. et *illud magis*. Hoc potest veritatem habere dupliciter, h. e. vel *formaliter eminenter*, vel *eminenter dumtaxat*. Primo modo contingit, quando perfectio causae, licet analogice conveniat cum effectu, eodem nomine tamen proprie appellatur; ut est ex gr. sapientia Dei et sapientia creaturarum intellectualium. Alio modo habetur, quando perfectio causae non eodem conceptu continetur, nec propterea eodem nomine exprimitur ac perfectio quae est in effectu; ut est ex. gr. Deus respectu perfectionum corporaliū. Apposite rursus Angelicus. "Quando causa et effectus conveniunt in nomine, tunc illud nomen magis praedicatur de causa, quam de effectu: sicut ignis est magis calidus, quam ea quae per ignem calefiunt. Quandoque vero causa et effectus non conveniunt in nomine: et tunc licet nomen effectus non conveniat causae, tamen convenit ei aliquid dignius: sicut etsi in sole non sit calor, est tamen virtus in eo quaedam quae est principium caloris." (1. *Poster.* lect. 6.) Cave tamen diligenter, ne hoc pronuntiatum applices iis quae non sunt in eodem genere causae: sic enim non habet veritatem. Sic minime deduci potest, Deum esse a nobis magis cognitum, ex eo quod propter Deum alia cognoscimus. Etenim propter Deum alia cognoscuntur, non sicut propter primum cognitum, sed sicut propter primam cognoscitivae virtutis causam efficientem et exemplarem. Confer Aquinatem (*Summa th.* 1. p. q. 87. a. 2. ad 3.).

INDEX

LOGICA

INTRODUCTIO	Pag. 1
ARTICULUS I. Logicae definitio et partitio	1
II. De intellectuali conceptu notiones praeviae	6
III. Qua ratione conceptus eiusque oralis expressio dicantur signa	11

LOGICA MINOR

CAPIT PRIMUM — De Terminis.

ARTICULUS I. Notio termini logici explicatur	15
II. Partitio terminorum, ac primo de univocis, aequivocis, et denominativis	18
III. Reliquae partitio terminorum recensentur	23
IV. De proprietatibus terminorum	29
V. De praedicabilibus	36
VI. De praedicamentis	42
VII. De divisione dialectica	48
VIII. De definitione	53